

juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis, aliis Religionibus in ipsa Civitate Quitenfi existentibus, etiam Societatis Jesu, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscat. die XXIII. Julii MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

CII.

Dat. 24. Julii 1681. An. 5. Confirmatur Decretum Card. Protectoris, quo etiam ultramontanis Monialibus Conventibus S. Francisci de Observantia interdicitur velum nigrum, & quæcumque vox in electionibus denegatur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

Nuper pro parte dilecti filii Petri Esportin, Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, in Capitulo Generali dicti Ordinis Romæ anno 1639. sub præsentia bo. me. Francisci dum vixit S. R. E. Cardinalis Barberini nuncupati, ejusdem Ordinis apud Sedem Apostolicam Protectoris celebrato, quædam Constitutiones ex antiquis compilatas, & aliquas, seu in illis aliqua de novo addita fuisse pro felici Gubernio Monialium Ordinis prædicti in familia Ultramontana, ipsiusque Capitulum Generale, non solum eadem Constitutiones approbasse, sed etiam intimari, & observari præcepisse; unam autem ex dictis Constitutionibus Cap. 12. inter alia disponere, quod Moniales Laicæ, seu Conversæ velum nigrum portare non possint, sed album, quodque suffragium non possint dare in electionibus Abbatissæ, Vicariæ, Discretarum, aut majorum Officiorum: & licet hæc omnia in familia Cismontana dicti Ordinis inviolabiliter observentur, aliquam tamen in altera familia notari observantiam, indeque gravissima inconvenientia, & scandala orta fuisse, & novissime maximum in quodam Conventu ex regressu cujusdam Novitiæ Conversæ ad Sæculum, expleto majori sui Novitiatus tempore, & quod cum sub observantia dictæ Constitutionis admittitur fuisse, a Monialibus Laicis, seu Conversis professis tantis fuit affecta contumeliis, & minis, ut professionem emittere timeret; ideoque per dictum Petrum Procuratorem Generalem nomine dilecti etiam filii Ministri Generalis dicti Ordinis præfatæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut Constitutionem prænaratam confirmaret, ad hoc ut in toto Ordine uniformiter fervetur, atque ita jurgia, & scandala hujusmodi vitarentur: Eadem Congregatio Cardinalium per suum

Constitutio Capituli Generalis pro Monialibus.

Decretum die 13. Maji 1681. emanatum supplicem libellum sibi super præmissis porrectum remisit Venerabili Fratri nostro Alderano Episcopo Tusculano ejusdem S. R. E. Cardinali Cybo nuncupato, Ordinis præfati apud nos, & Sedem Apostolicam Protectori, ut veris existentibus narratis, & quatenus expedire censuisset, petitam confirmationem pro suo arbitrio, & prudentia impertiretur; ipse vero Alderanus Episcopus Cardinalis, & Protector Decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet. Alderanus Episcopus Tusculan. S. R. E. Card. Cybo Seraphici Ordinis S. Francisci apud S. Sedem Protector.

Decretum Congregationis.

Aliud Card. Protectoris.

§. 1. Attenta remissione supplicis libelli vigore retroscripti Decreti Nobis facta Oratoris precibus mature examinatis, atque discussis, decernimus, & declaramus, quod nisi in primæva fundatione, aut in aliquo speciali Statuto a Religione, & a Sede Apostolica approbato Monasteriorum Sanctimonialium Ordinis S. Francisci expresse cautum sit, quod Moniales Conversæ, seu Laicæ velo nigro, & voce activa in electionibus Superiorissimarum, seu officialium, & voce passiva in consequendis dd. Monasteriorum Officiis uti, frui, & gaudere debeant; Constitutio facta in Capitulo Generali Romæ celebrato sub die 11. Junii 1639. executioni omnino demandetur, suumque integrum, & plenarium effectum sortiatur, in quem finem eandem Constitutionem extra tamen casum præmissum auctoritate non solum, qua fungimur Protectoris, verum etiam ab eadem Sacra Congregatione Nobis attributa, & concessa, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, eique inviolabilis firmitatis robur adjicimus, nullas, irritas nunc pro tunc omnes præfatas electiones, quas cum suffragiis prædictarum Monialium Conversarum, adversus præsentem nostram, & Constitutionis prædictæ dispositionem fieri contigerit declarantes, & decernentes. Mandamus igitur omnibus Superioribus regularibus, qui regimini, & gubernio dictorum Monasteriorum præsentium, quatenus hæc omnia subdito Monialibus quæcumque alio pretextu, & quæsto colore etiam consuetudinis immemorabilis, & præscriptæ, executioni demandari faciant, & contra inobedientes, ac contumaces suis remediis, & quatenus opus sit censuris Ecclesiasticis animadvertant. Romæ 5. Julii 1681. A Card. Cybo Protector. Jo. Baptista Rusca.

Preces Procuratoris Ordinis.

§. 2. Cum autem sicut præfatus Petrus Procurator Generalis nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiti summopere desideret: nos ipsius Petri Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Dño possimus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Decretum a memorato Alderano Episcopo Cardinale, & Protectore editum præsertim cum omnibus, & singulis in eo contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus.

Confirmatio prædicti Decreti.

firmamus; & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clapsule.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere: ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Pisc. die XXIV. Julii MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

CIII.

Dat. 7. Aug. 1645. An. 5.

Erigitur Academia S. Thomæ Ord. Prædicatorum Civitatis Monilan. in Insulis Philippinis in publicam studii generalis universitatem.

Hæc Accademia instituta fuit ab Inn. X. Constitut. ed. 1645. Novem. 20.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Præsumptum.

Inscrutabili divinæ sapientiæ, atque bonitatis arcano ad Ecclesiæ Catholicæ per universum Terrarum Orbem diffusa regimen, meritis licet imparibus, evesti, sacrarum, eisque ancillantium bonarum literarum studia, per que depulsa ignorantie caligine, mentes veritatis luce illustrantur, & non minus Catholicæ Fidei, divinique cultus propagationi, & incremento, quam Justitiæ administrationi, aliisque Reipublicæ commodis, & ornamentis, privatorumque utilitatibus consultitur, ubique locorum, & præsertim in remotissimis ab hac S. Sede partibus, quantum nobis ex alto conceditur, promovere, ac incitare, & conservare studemus, sicut omnibus matura consideratione perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæque decus, & præsidium, ac spiritualem temporalem-

que Christifidelium utilitatem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Innocentio PP. X. prædecessori nostro pro parte clara mem. Philippi IV. dum vixit Hispaniarum Regis Catholici exposito, quod in Civitate Monilan in Insulis Philippinis unum sub denominatione S. Thomæ Collegium Ordinis Fratrum Prædicatorum existeret, in quo triginta Alumni seculares educabantur, & Grammatica, Rhetorica, Logica, Philosophia, ac Theologia Scholastica, & Moralis docebantur, seu legebantur, magna cum Incolarum illarum partium utilitate. Civitas vero Monilan plusquam tribus leucarum, millibus a vicinioribus studiorum Generalium Universitatibus, nempe Limana, & Mexicana distabat, & propterea idem Philippus Rex in Collegio præfato Academiam erigi, & institui summopere desiderabat, præfatus Innocentius prædecessor supplicationibus memorati Philippi Regis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, in præfata Civitate Monilan. in ædibus dicti Collegii, ubi tunc scholæ erant, seu forsitan in ampliore formam construerentur, Academiam, in qua Religiosi dicti Ordinis Grammaticam, Rhetoricam, Logicam, Philosophiam, & Theologiam Scholasticam, & Moralem publice profiterentur, ac Juvenes quoscumque docerentur, duraturam dumtaxat donec, & quousque aliqua publica studii Generalis Universitas in dicta Civitate Monilan, seu illius Provincia Apostolica auctoritate erecta fuisset, eadem auctoritate, sine tamen cujusquam præjudicio, erexit, & instituit; Ipsamque Academiam sic erectam, & institutam curæ, regimini, & administrationi dicti Ordinis, & illius Magistri Generalis pro tempore existentis, seu ab eo deputandi, qui totius Academiæ Rector existeret, præfata auctoritate supposuit, ac Rectori ipsius Academiæ, & Collegii pro tempore existentis, ut donec hujusmodi Academia, ut præmittitur, duraret, illos quos in ipsa Academia sic erecta per debitum tempus studuisse, ac scientia, & moribus idoneos esse reperisset, in præfatis facultatibus, que in dicto Collegio, ut præsertur docerentur, seu legerentur, ad Baccalaureatus, etiam formati, ac Licentiatû, & Doctoratus, necnon Magisterii gradus, servata in omnibus, & per omnia forma Decretorum Viennen., & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogate non intendebat, & alias juxta laudabiles aliarum Academicarum consuetudines promovere, & ipsorum graduum insignia eis exhibere valeret, dicta auctoritate concessit, & indulgit, cum diversis facultatibus, gratis, & Indultis, & alias prout in ipsis Innocentii prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 20. Novembris 1645. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Quæ de causa & forma erecta fuerit d. Academia.

§. 2. Cum autem sicut dilectus filius Alphonsus Sandin Procurator, & Diffinitor Generalis Provincie Sanctissimi Rosarii distarum Insularum Philippinarum præfati Ordinis Fratrum Prædicatorum Nobis nuper exponi fecit, ex erectione Academiæ hujusmodi maxima in illis partibus ad Animarum salutem assidue proveniat utilitas, propositisque studiorum præmiis, erexerit ad ipsa amplectenda, & peragenda, præmiæque hujusmodi promerenda studiorum alacritas,

Cause erectio nis hujus Academicæ in publicam universitatem.

tas; itaut multiplicata reperiantur Persona habiles, & idonea ad continuandas Sacras Missiones, quarum fructus Sancta Mater Ecclesia, Domino benedicente, in dies locupletantur: Verum propter ingentem dictae Civitatis Monilan a praefatis studiorum Generalium Universitatibus distantiam supradictam, moraliter impossibile sit, ut Incola Civitatis, & Insularum Philippinarum hujusmodi ad eandem Universitates, ut ibidem Sacrorum Canonum, & Legum Civilium, & Medicinae studii incumbant, se conferant; ac proinde plurimum expedire videatur, ut Academia praefata in publicam studii generalis Universitatem, ad hoc, ut in ea Sacri Canones, & Leges Civiles, ac Medicina hujusmodi, quorum scientia ad bene ornatam Rempublicam etiam necessaria est, publice doceri, harumque facultatum Cathedra a Personis secularibus peritis regenda Benefactorum impensa ibidem erigi, & gradus scholastici earumdem facultatum studiois post peracta studiorum curricula conferri valeant, ad instar Limanae, & Mexicanae Universitatum praefatarum erigatur. Nobis propterea dictus Alphonfus humiliter supplicari fecit, ut in praemissis, opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Prioris Provinciae SS. Rosarii Ord. Praedicatorum in Insulis Philippinis.

Accedit commendatio Regis Catholici.

Erectio d. Academiae in publicam studii generalis Universitatem donec alia instituta Apostolica, & Regalia.

Et conceduntur privilegia, & iura Universitatum Limanae, ac Mexicanae.

§.3. Nos igitur Incolarum Civitatis, & Insularum praefatarum commodis quantum cum Domino possumus, consulere, dictumque Alphonsum specialis favore gratiae prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propaganda Fidei praepositorum consilio, & attento, quod praefati Alphonfi instantia hujusmodi a dilecto filio nobili viro Gasparo de Haro y Gusman Marchione de Carpio Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratore ejusdem Caroli Regis nomine commendata fuit, Academiam in supradicto Collegio S. Thomae Civitatis Monilan Ordinis Praedicatorum a memorato Innocentio praedecessore ad supplicationem praefati Philippi Regis erectam, ut praefertur, in publicam studii generalis Universitatem, in qua etiam Sacri Canones, ac Leges Civiles, & Medicina, publice praegi, & doceri, harumque scientiarum, sive facultatum, Cathedra a personis secularibus habilibus, & idoneis regenda, & obtinenda fundari, & institui valeant, ad instar praefatarum Universitatum Limanae, & Mexicanae, auctoritate Apostolica tenore praesentium sine cujuscumque alterius Universitatis studii Generalis praedictio erigimus, & instituiimus: Ita tamen, ut Universitas hujusmodi sic erecta, & instituta, donec, & quousque alia publica Universitas Apostolica, & Regalis ad formam modo dictarum Universitatum, & non aliter aut in eadem Civitate Manilan, aut in aliis Regnis vicinioribus construatur, seu erigatur dumtaxat durare debeat: ac eidem Universitati studii Generalis sic per praesentes erectae, & institutae, illiusque Rectori, Magistris, Doctoribus, Lectoribus,

Præceptoribus, Scholaribus, Procuratoribus; Bidellis, Nunciis, ceterisque Officialibus, Ministris, & personis quibuscumque pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, Indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, praerogativis, honoribus, & praerogativis, quibus praefatae Universitates studiorum Generalium Limanae, & Mexicanae, illarum Rectores, Magistri, Doctores, Lectores, Praeceptores, Scholares, Procuratores, Bidelli, Nuncii, ceterique Officiales, Ministri, & personae quaecumque respective tam de jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, non solum ad eorum instar, sed etiam aequè principaliter, & pariformiter in omnibus, & per omnia, uti, frui potiri, & gaudere; Rectori autem ipsius Universitatis per praesentes erectae, ut quamdiu Universitas hujusmodi sicut praemittitur duraverit, illos, quos in eadem Universitate per debitum tempus studuisse, ac scientia, & moribus idoneos esse repererit in praefatis facultatibus, sive scientiis, quae in ipsa Universitate docebantur, seu legentur, ad Baccalaureatus, etiam formati, Licentiatum, ac Doctoratus, & Magisterii gradus, servata tamen in omnibus, & per omnia forma Decretorum Viennensium, & Tridentini Conciliorum praefatorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, & alias juxta laudabiles supradictarum Limanae, & Mexicanae Universitatum ritus, & consuetudines promovere, solitaque graduum hujusmodi insignia eis conferre, & exhibere; Ipsi vero ad eosdem gradus per illum sic promoti, ut postea publice, privatimque etiam, in omnibus aliis Universitatibus studiorum Generalium facultates, sive scientias praedictas respective alios docere, & interpretari, de eis disponere, aliosque actus quoscumque eorum gradibus convenientes exercere libere, & licite possint, & valeant respective, auctoritate, & tenore praesentium concedimus, & indulgemus, salvo tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausa.

§.4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suisque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Collegii, Provinciae, & Ordinis praefatorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque

risque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Augusti MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Dat. 8. Aug. 1681. An. 5.

CIV. Conceduntur Tertiariis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum intra claustra viventibus Indulgentiis, quibus gaudent Fratres ejusdem Ordinis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Preces Procuratoris Generalis pro declaratione Indulgentiarum ad Tertiarios.

CUM sicut dilectus filius Josephus Linas Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum in Sacra Theologia Magister, Nobis nuper exponi fecit, multi in eodem Ordine reperiantur Tertiarii, qui vota simplicia emiserunt, & sub Regula Tertiariorum, ac habitu ipsius Ordinis pie, & laudabiliter intra claustra sub obedientia Superiorum Ordinis hujusmodi vivunt; incertum vero esse quibus Indulgentiis, & gratiis spiritualibus ejusmodi Tertiarii frui valeant, & gratiis spiritualibus ejusmodi Tertiarii frui valeant, & propterea idem Josephus Prior Generalis illorum spirituali consolationi, & animarum saluti opportune a Nobis provideri plurimum desideret: Nos ipsius Josephi Procuratoris Generalis Urbis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praefatis Tertiariis praesentibus, & futuris intra claustra, ut praefertur, viventibus, qui vota hujusmodi emiserunt, seu pro tempore emiserint, ut omnibus, & singulis Indulgentiis seu peccatorum remissionibus, ac poenitentiarum relaxationibus, quibus Fratres Ordinis praedicti utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pariformiter, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere, illaque consequi, & lucrifacere libere, & licite possint, & valeant, dummodo tamen ea, quae pro consequendis Indulgentiis, seu peccatorum remissionibus, ac peccatorum relaxationibus hujusmodi praescripta sunt, seu pro tempore fuerint, adimpleant, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, & indulgemus.

Concessio Indulgentiarum Fratrum d. Ordinis Tertiarii facta.

Clausa.

§.1. Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§.2. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Augusti MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Dat. 22. Aug. 1681. an. 5.

CV. Declaratur, Tertiarios B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum extra claustra viventes frui posse Indulgentiis Confraternitatum ejusdem Ordinis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

UPER pro parte dilecti filii Josephi Linas Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum in Sacra Theologia Magistri, Nobis exposito, multos in eodem Ordine reperiri Tertiarios, qui vota simplicia emiserunt, & sub Regula Tertiariorum, ac habitu ipsius Ordinis pie, & laudabiliter intra claustra sub obedientia Superiorum Ordinis hujusmodi vivunt; incertum vero esse quibus Indulgentiis, & gratiis spiritualibus ejusmodi Tertiarii frui valeant. Nos supplicationibus dicti Josephi Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati praedictis Tertiariis praesentibus, & futuris intra claustra, ut praefertur viventibus, qui vota hujusmodi emiserunt, seu pro tempore emiserint, ut omnibus, & singulis indulgentiis, seu peccatorum remissionibus, ac poenitentiarum relaxationibus ad instar Fratrum Ordinis praedicti frui valeant sub certis modo, & forma tunc expressis auctoritate Apostolica indulgemus; & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 8. currentis mensis Augusti expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberior continetur. Cum autem, sicut praedictus Josephus Procurator Generalis Nobis subinde denuo exponi fecit praeter supradictos, alii reperiantur memorati Ordinis Tertiarii, & Tertiariae, seu Bizzochae, qui, & quae licet sub Regula Tertiariorum, & habitu praedictis quoque pie, & laudabiliter vivant, vota simplicia praedicta emiserint, non tamen intra claustra hujusmodi commorantur; incertum vero pariter sit quibus Indulgentiis, & gratiis spiritualibus hi quoque Tertiarii, & Tertiariae frui valeant; Nobis propterea dictus Josephus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Refertur Breve praecedens, quo concessae fuerunt Tertiariis intra claustra viventibus indulgentiae Fratrum Ordinis.

Preces Procuratoris Generalis pro declaratione Indulgentiarum ad Bizzocham Tertiarios extra claustra viventium.

§.1. Nos igitur ipsius Josephi Procuratoris Generalis votis hac in re favorabiliter quoque annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praefatos Tertiarios, qui vota supradicta emiserunt, & extra claustra vivunt, Confraternitatibus Ordinis praedicti adscribi, & adscriptos gratiis, & indulgentiis Confraternitatum hujusmodi frui posse auctoritate tenore praesentium declaramus.

Declaratur ad Tertiarios frui posse Indulgentiis Confraternitatum Ordinis. §.2.

Clausula .

§.2. Decernentes easdem presentes literas, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & defini debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.3. Volumus autem, quod earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem ubique fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII Augusti MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

CVI.

Redditur Inquisitoribus Regnorum Portugalliae, & Algarbiorum auctoritas, quam amiserant non parendo mandatis Apostolicis, & Leges nonnullae conduntur in causis fidei servanda.

Hac de re vide Clem. X. Const. ed. 1674., Octob. 3., P. 5. . Hujus Pontificis Const. ed. 1676., Nov. 23., P. 1. Const. ed. 1678., Dec. 24., & Const. ed. 1679., Maji 27., P. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium .

Romanus Pontifex ex commissa sibi divinitus servitutis munere omnium Christianifidelium commodis jugiter invigilans, in eam praecipue curam omnibus viribus, omnique animi contentione incumbit, ut Christianae Religionis puritas, Catholicaeque fidei integritas illibata conserventur: Apostolica vero, atque haeretica pravitas opportunis rationibus ubique locorum, quantum Divina Bonitas dederit, sanetur, vel saltem Apostolico vigore compescatur, & ne in pernecium Animarum pretioso Christi sanguine redemptarum latius serpat, radicibus extirpetur. Hac autem, ut recte, atque ordine fiat, nec ulla cuiquam iuste conquerendi relinquitur occasio, salutaribus, & ex Apostolicae Sapientiae, atque aequitatis fonte depromptis legibus exortas controversias dirimere, Tribunalium ab Apostolica Sede pie, prudenterque institutorum dignitati consulere, Juris rigorem mansuetudine temperare, certamque, & Christianae charitati congruentem rebus gerendis normam tradere studet, sicut omnibus matura discussione consideratis, ad gloriam Omnipotentis Dei, ad Ecclesiae decus, & praesidium, ac ad Christianifidelium aedificationem, Animarumque salutem expedire in Domino arbitrat.

§.1. Dudum siquidem cum dilecti filii Christiani novi nuncupati, sive ab Hebraeis descendentes in Portugallia, & Algarbiorum Regnis

degentes, qui in carceribus Tribunalium Inquisitionis adversus haeticam pravitatem in Ulyssiponensi, Elborensi, & Colimbriensi Civitatibus auctoritate Apostolica institutorum propter imputata eis crimina ad Officium Inquisitionis hujusmodi spectantia, de quibus accusati, seu inquisiti respective existebant, detinebantur, ad sel. rec. Clementem Papam Decimum Praedecessorem nostrum, & hanc Sanctam Sedem recurrissent, conquirentes bon. me. Petrum Archiepiscopum Sidentem, qui tunc in humanis esse credebatur, Generalem, & reliquos Inquisitores adversus haeticam pravitatem in dictis Regnis auctoritate Apostolica deputatos, seu eorum aliquos ad novum actum, (ut vocant) fidei contra ipsos, sive ad eorum condemnationem, ipsorumque ad publice abjurandum coactionem, & in hujus defectum ad diversarum poenarum inflictionem, atque executionem nimia precipitatione, quae justitiae nocera esse solet, nec servatis iis, quae per Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum aequitatem praescripta sunt, devenire velle, non sine justitiae subversione, ac ipsorum, totiusque eorum Nationis ruina, & destructione: idem Clemens Praedecessor, qui in supremo Justitiae Throno a Domino constitutus, justitiam omnibus aequalitate administrare tenebatur, eorumdem Christianorum novorum recursum hujusmodi admittens, in causam, & causas quascumque contra eos, & eorum quemlibet super criminibus, & delictis ad Officium Inquisitionis hujusmodi quomodolibet spectantibus in praeratis, aliiisque Tribunalibus quibuscumque adversus haeticam, & Apostaticam pravitatem praedictam in supradictis Regnis dicta auctoritate institutis, seu eorum aliquo eatenus quovis modo motas, & pendentes in statu, & terminis, in quibus tunc quomodolibet reperiebantur, ad se, & Sedem praedictam avocans, ipsasque causas cum omnibus, & singulis illarum incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum, tunc suorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium in tota Republica Christiana Generalium Inquisitorum adversus haeticam, & Apostaticam pravitatem hujusmodi a Sede praedicta specialiter deputatorum, cui easdem causas commiserat, & demandaverat, audiri, cognoscere, decidi, sineque debito, prout juris foret, terminari debere omnino volens per quasdam suas in simili forma Brevis die 3. Octobris 1674. expeditas literas, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione, suis, deque Apostolicae potestatis plenitudine, memorato Archiepiscopo Inquisitori Generali, & reliquis Inquisitoribus praedictis districte inhibuit, ne causa, & causis hujusmodi in praedicta Cardinalium Congregatione pendentes, aut alias quomodolibet, donec, & quousque specialis, & expressa desuper ab ipso Clemente Praedecessore, & eadem Sede licentia eis concessa fuisset, ad ullum similem actum (ut vocant) Fidei, ullamve publicationem, promulgationem, aut executionem novarum sententiarum quarumcumque contra praedictos Christianos novos, ut praefertur, inquisitos, seu accusatos, vel denunciatos, & in carceribus praedictis detentos, aut illorum aliquem devenire ullo modo audent; neque ipsi, aut eorum aliquis, seu ipsorum, & cujus.

Appellatum ad Christiani in Inquisitione detentis ad Clem. X.

Necnon eis injuncta executio decretorum d. Congreg. sub gravissimis poenis.

Eorum cause commissae fuerunt Congregationi Cardinalium contra haeticam pravitatem.

Item inhibicio facta fuit Inquisitoribus, & Ministris.

cujuslibet eorum respective Consilarii, Commissarii, Procuratores, Fiscales, Assessores, Notarii, Actuarii, ceterique Officiales, & Ministri contra ipsos, aut eorum quemlibet, illorumve, & cujuslibet eorum respective Advocatos, Procuratores, Solicitatores, Agentes, seu negotiorum gestores, aut alias quomodolibet pro eis intervenientes quovis modo directe, vel indirecte, seu alias quomodolibet quocumque modo attentare, vel innovare praesumerent. Ipse enim Clemens Praedecessor eisdem Generali, & reliquis Inquisitoribus, eorumque, & cujuslibet eorum respective Consilarii, Commissarii, Procuratoribus Fiscalibus, Assessoribus, Notariis, Actuariis, ceterisque Officialibus, & Ministris praedictis in virtute sanctae obedientiae districte praecipit, & mandavit, ut quibuscumque mandatis, ordinationibus, & Decretis dictae Congregationis Cardinalium in causa, seu causis hujusmodi eatenus forsitan emanatis, & in posterum usque ad finem, & terminum earumdem causarum quomodolibet emanatum omni mora, dilatione, tergiversatione, oppositione, & contradictione postpositis, & remotis, prompte sicut devotos dictae Sedis filios decet, parerent; nec illa, eorumve executionem quomodolibet impedire, aut illis in Juicio, vel extra illud se opponere, aut contradicere ullo modo audent, seu praesumerent: alioquin dictus Petrus Archiepiscopus Inquisitor Generalis suspensionis ab exercitio Pontificalium, & interdicti ab ingressu Ecclesiae, ac privationis muneris Inquisitoris Generalis, reliqui vero Inquisitores praedicti, eorumve respective Consilarii, Procuratores Fiscales, Commissarii, Assessores, Notarii, ceterique Officiales, & Ministri excommunicationis latae sententiae, ac privationis Officiorum quomodocumque ad Tribunal Sancti Officii spectantium poenas ipso facto, & absque ulla declaratione se respective novissim incursum, a quibus absolutionem idem Clemens Praedecessor sibi, & dictae Sedi Apostolicae specialiter reservavit.

§.2. Verum subinde dicto Clemente Praedecessore rebus humanis exempto, cum Nos Venerabilem Fratrem Verissimum Archiepiscopum olim Bracharensem haeticam, & Apostaticam pravitatem hujusmodi Inquisitorem Generalem in Portugallia, & Algarbiorum Regnis supradictis cum solitis facultatibus in locum praedicti Petri Archiepiscopi defuncti constituissemus, & deputassemus, causa vero, seu cause praedictae in supradicta Cardinalium Congregatione adhuc pendentes; Nos Decretis quibusdam provisionibus ab eadem Congregatione Cardinalium in causa recursum hujusmodi antea emanatis, & a praedicto Clemente Praedecessore approbatis, & a quibus recedere nullo modo intendebamus, inhaerentes, ipsaque Decreta renovantes, & donec ea, quae super dubiis propositis decernenda Nobis visa fuissent, statuissimus, omnino observari praecipientes, de praedictorum Cardinalium consilio per quasdam nostras pariter in forma Brevis die 28. Novembris 1676. emanatas literas venerabili Fratri Marcello Archiepiscopo Chalcedonensi in Portugallia, & Algarbiorum Regnis praedictis nostro, & dictae Sedis Nuncio dedimus in mandatis, ut inhibitionem a memorato Clemente Praedecessore per suas literas praedictas, sicut praemittitur, factam, in omnibus ejus

Praedictae cause remissa fuerunt ad Inquisitoribus, quoadmodum moderatae ne sub memoratis poenis servanda.

partibus auctoritate Nostra Apostolica, ita moderaretur, & reformaret, ut Verissimo Archiepiscopo Generali a Nobis deputato, & reliquis Inquisitoribus praedictis contra supradictos Christianos novos nuncupatos in dictis carceribus, ut praefertur, detentos, servato Juris ordine, ac juxta aequitatis, & justitiae regulas liceret procedere ad poenas, & animadversiones debitas, praeterquam ultimi supplicii, trireremium, perpetuarum, & confiscationis bonorum a quibus eos, & eorum quemlibet, donec, & quousque a Nobis, & Sede praedicta aliter dispositum fuisset, omnino abstinere volumus. Ac proinde eisdem Verissimo Archiepiscopo Generali, & reliquis Inquisitoribus, illorumque, & cujuslibet eorum respective Commissarii, Consilarii, Procuratoribus Fiscalibus, Assessoribus, Notariis, Actuariis, ceterisque Officialibus, & Ministris dicta auctoritate districte, & sub poenis, quae in praedictis Clementis Praedecessoris Literis expressae sunt, denuo inhiberet, ne contra eosdem Christianos novos in carceribus hujusmodi detentos, aut eorum aliquem interea ad ultimi supplicii, vel trireremium perpetuarum, aut confiscationis bonorum hujusmodi poenas procedere audent quovis modo, seu praesumerent. Praeterea ipsi Marcello Archiepiscopo, & Nuncio facultatem tribuimus eadem auctoritate permittendi Verissimo Archiepiscopo Generali, reliquisque Inquisitoribus praedictis, ut prout justitia exigeret, & ordo posceret rationis, procedere possent etiam contra praedictorum Christianorum novorum in dictis carceribus detentorum Procuratores, Advocatos, Agentes, seu negotiorum gestores, & alias quomodolibet pro eis intervenientes, dummodo tamen praeteri non posset suspicio hoc fieri in odium recursum supradicti ad hanc Sanctam Sedem habiti, & ab eadem Sede admitti, ad quem effectum dicti Inquisitores acta talium processuum eidem Marcello Archiepiscopo, & Nuncio ad ejus beneplacitum communicare tenerentur. Sed cum Nos postmodum gravissimis ex causis adducti omnino oportere existimassemus, ut quidam processus in Tribunali Inquisitionis adversus haeticam pravitatem hujusmodi in dictis Regnis auctoritate Apostolica instituto, contra nonnullos praetensos Judaizantes expediti, & terminati, in quibus etiam ipsorum assertorum Judaizantium tamquam negativorum condemnationem, in poenam ordinariam contineri dicebatur, apud hanc Sanctam Sedem inspicerentur, dictoque Verissimo Archiepiscopo Inquisitori Generali Nostro nomine mandari curassemus, ut eosdem Processus ad Nos, & Sedem eandem quamprimum transmitteret; ipse vero nonnullas rationes coram Nobis allegari curavisset, quibus se ab illorum transmissione excusare satagebat: Sed Nos omnibus, quae ejus nomine super ea re deducta fuerant, auditis, consideratis, & mature perpensis, illa omnia, & singula irrelevantia, nulliusque ponderis esse judicavimus, ac proinde in priori mandato, quo processus praedictos transmitti praecipimus, persistissemus, quinimo ipsi super ea cum Venerabili etiam Fratre Ludovico Archiepiscopo Bracarensi pro dilectissimo in Christo Filio Nostro Petro Principe Portugalliae, & Algarbiorum Regnorum praedictorum Governatore apud Nos, & Sedem praedictam Oratore plu.

Mandatum Inquisitoribus sum transmittendum ad Christianos novos aucta ad S. Sedem.

Contumacia Inquisitoris.

pluries egiffemus, hæcque enixa Nostra voluntas tam dicto Petro Principi, & Governatori, quam prædicto Verissimo Archiepiscopo Inquisitori Generali, & nonnullis Regiæ Coronæ Lusitanicæ Administris jussu Nostris per prædictum Marcellum Archiepiscopum, & Nuncium Nostrum pluries quoque significata extitisset, nec tamen æquissimis præceptis, & mandatis Nostris hujusmodi catenus paritum fuisset, nec adhuc pareretur. Nos ejusmodi contumaciam, quæ non minus in Nostrum, & hujus Sanctæ Sedis contemptum, quam in Justitiæ, & ordinis, quem in Sancta sua Ecclesia constituit Deus, subversionem tendere dignoscatur, opportunis rationibus compescere, debitamque Nostris, & Apostolicæ Sedis mandatis obedientiam omnino præstari volentes, per alias nostras similiter in forma Brevis literas die 24. Decembris 1678. expeditas, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine memorato Verissimo Archiepiscopo Inquisitori Generali districtè præcepimus, & mandavimus, ut intra terminum decem dierum a die, quo eadem literæ nostræ ipsi per prædictum Marcellum Archiepiscopum, & Nuncium præsentatæ fuissent, computandum, quatuor, vel quinque processus originales in Tribunali prædicto contra Reos de Judaismo inquisitos, seu accusatos, vel denunciatos, qui etiam tamquam negativi in poenam ordinariam condemnati fuerant, jam finitos, & terminatos in manibus ejusdem Marcelli Archiepiscopi, & Nuncii realiter, & cum effectu consignasse, & tradidisse omnino deberet: Alioquin elapso dicto termino, nec secuta effectiva consignatione processuum hujusmodi, eo ipso tam eundem Verissimum Archiepiscopum ab Officio Generalis Inquisitoris in Regnis prædictis ei per alias priores nostras in simili forma Brevis literas demandato, omnique, & quacumque auctoritate sibi per eandem literas quomodolibet attributa, quam omnes, & singulos alios Inquisitores in eisdem Regnis ab ipso Verissimo Archiepiscopo, ejusque Prædecessoribus Inquisitoribus Generalibus respectivè electos, & deputatos, vel confirmatos, a suis pariter muneribus, omnique potestate agendi, seu procedendi, aut alias quomodolibet se ingerendi in causis ad Sanctum Inquisitionis Officium, in prædictis Portugallie, & Algarbiorum Regnis quovis modo spectantibus, donec, & quovisque aliter a Nobis, & Sede Apostolica prædicta dispositum, vel ordinatum fuisset, ex tunc, prout ex illo tempore penitus, & omnino suspendimus, ac ipso facto suspensos fore, irritumque, & inane si quid subinde desuper tam a dicto Verissimo Archiepiscopo, quam ab aliis Inquisitoribus prædictis, vel eorum aliquo quomodolibet, & quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigisset; & tam ipsam Verissimum Archiepiscopum, quam ceteros omnes, & singulos Inquisitores prædictos, si præceptum nostrum hujusmodi transgredi, aut alias quomodolibet literis nostris, quibus præceptum ipsum fcebat, contravenire ausi fuissent ipso facto in poenas canonicas, ipsum quidem Verissimum Archiepiscopum Inquisitorem Generalem, in poenam interdicti ab ingressu Ecclesiæ; ceteros vero Inquisitores prædictos in excommunicationem majorem respectivè absque

Innovatio mandati cum definitione temporis, & poenæ.

alia declaratione incursum esse itidem ex tunc prout ex illo tempore decrevimus, & declaravimus; absolutionem autem ab eisdem poenis Nobis, & huic Sanctæ Sedi specialiter reservavimus. Porro nec prætextum impeditæ forsan eidem Verissimo Archiepiscopo Inquisitori Generali consignationis processuum hujusmodi, nec ullam aliam excusationem, prætextum, causam, vel impedimentum, etiam non expressum, ac de necessitate specialiter exprimendum illi, ceterisque Inquisitoribus prædictis, si eisdem literis nostris in omnibus, & per omnia prompte, & accurate non paruisset, ullo modo suffragari posse volumus, quominus tam ipse Verissimus Archiepiscopus, quam dd. Inquisitores, sicut præmittitur, suspensi remanerent ab omni, & quacumque facultate, & auctoritate se ingerendi in causis prædictis: quarum cognitionem, durante suspensione hujusmodi, & interim ad nostrum, & dictæ Sedis beneplacitum commisimus, & demandavimus locorum Ordinariis, prout ejusmodi causarum cognitio ante institutionem Officii Sanctæ Inquisitionis hujusmodi auctoritate Apostolica in Lusitania factam ad eos pertinebat; qui Ordinarii proinde in eisdem causis juxta juris communis regulas, ac Sacrorum Canonum, & Constitutionum, Apostolicarum dispositionem procedere deberent: Nos enim ipsis Ordinariis sic in Causis hujusmodi procedendi quancumque necessariam, & opportunam facultatem donec, & quovisque a Nobis, & Sede prædicta aliter ordinatum fuisset dumtaxat duraturam eorumdem literarum serie tribuimus, & impartiti sumus. Et successive per Nos accepto, quod idem Verissimus Archiepiscopus olim Inquisitor Generalis mandato, & præcepto nostris super consignatione dictorum processuum sibi factis non paruisset, & proinde tam ipse, quam ceteri olim Inquisitores prædicti suspensionem a suis respectivè muneribus præfatis, omnique potestate, & auctoritate agendi, seu procedendi, aut alias quomodolibet se ingerendi in causis ad Sanctum Inquisitionis Officium quovis modo spectantibus incurrisse reperirentur: Nos ita ad omnium, quorum intererat, & in futurum interesset, notitiam, ne quis illorum ignorantia forsan deciperetur, deduci volentes, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus per alias nostras etiam in forma Brevis die 27. Maji 1679. emanatas literas memoratum Verissimum Archiepiscopum olim Inquisitorem Generalem, ceterosque olim Inquisitores prædictos ob non præstitam mandato, & præcepto nostris hujusmodi circa consignationem processuum prædictorum in manibus prædicti Marcelli Archiepiscopi, & Nuncii, ut præfertur faciendam in termino supra expresso debitam paritionem eo ipso prædictam suspensionem incurrisse, ac proinde statim elapso termino hujusmodi, eos omnes, & singulos nullam omnino in materiis ad Sanctum Inquisitionis Officium quomodolibet pertinentibus jurisdictionem habuisse, nec tunc habere; & propterea omnia, & singula per eosdem gesta post incursum dictæ suspensionis, & si quæ forsan per eos in posterum agerentur in materiis Sancti Officii hujusmodi ob defectum Jurisdictionis penitus, & omnino nulla, & invalida fuisse, & esse, ac fore declaramus. Quinimo, cum a nonnullis affereretur, eum

Auctoritas Inquisitorum tributa fuit locorum Ordinariis.

Declaratum fuit, Inquisitores poenas incurrisse.

eundem Verissimum Archiepiscopum olim Inquisitorem Generalem, ceterosque olim Inquisitores prædictos, seu eorum aliquos post incursum suspensionis hujusmodi Jurisdictionem in materiis ad Sanctum Inquisitionis Officium prædictum spectantibus nulliter, & de facto exercere præsumpsisse, & forsan adhuc præsumere, poenas in literis Nostris prædictis expressas, aliasque a Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis contra familia perpetrantes impositas damnabiliter incurrendo: Nos ejusmodi excessus minime impunitos remanere, sed debita animadversione castigari, ideoque exactam, & accuratam desuper informationem capi volentes, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus per alias nostras itidem in forma brevis eadem die 27. Maji 1679. expeditas literas memorato Marcello Archiepiscopo, & Nuncio causam, & causas eorumdem excessuum, seu delictorum catenus in præmissis quovis modo commissorum, & eorum, quos, & quæ forsan in posterum committi contingeret, contra prædictum Verissimum Archiepiscopum olim Inquisitorem Generalem, ceterosque omnes, & singulos olim Inquisitores prædictos cum illius, seu illarum incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis, usque ad sententiam definitivam exclusive commisimus, & demandavimus; mandantes ipsi Marcello Archiepiscopo, & Nuncio, ut omni diligentia processum, seu processum desuper quomodolibet necessarios, & opportunos auctoritate Nostra formaret, & conficeret, seu formari, & confici curaret; Si quid autem contra illos resultaret, informationes, ac processum, seu processum hujusmodi sub suo sigillo clausos ad Nos quamprimum transmitteret, ut quod desuper statuendum foret, matura deliberatione adhibita decerneremus, & alias prout in singulis Nostris, & memorati Clementis Prædecessoris literis prædictis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus uberius continetur.

§.3. Cum autem tandem duo ex prædictis processibus, quos in manibus prædicti Marcelli Archiepiscopi, & Nuncii, sicut præmittitur, consignari præceperamus, ex Lusitania ad memoratum Ludovicum Archiepiscopum dicti Petri Principis, & Governatoris Oratorem, apud Nos, & Sedem prædictam residentem, transmisisti, & Congregationi prædictorum Cardinalium Generalium Inquisitorum jussu nostro traditi, ac ab illa inspecti, & discussi fuerint, indeque sufficiens habita fuerit notitia seu informatio illorum, de quibus edoceri cupiebamus; ipsi vero Cardinales, habitis inter se multis congressibus super querelis prædictorum Christianorum novorum, & gravaminibus, quæ sibi inferri asserabant, querelas, & gravamina hujusmodi, variasque scripturas a partibus, & præfertim a dilecto filio Hieronymo Suarez uno ex minoribus Inquisitoribus dictorum Regnorum, qui pro tuendis Juribus, & stylis Tribunalis Sanctæ Inquisitionis eorumdem Regnorum ad hanc Almam Urbem venit, in eaque de præfatis residet, porrectas diligentissime, & accuratissime discussit, & examinaverint: sed interea cessante propter suspensionem prædictam Jurisdictione ejusdem Tribunalis, locorum Ordinarii, quibus durante suspensione hujusmo-

Commissum fuit Nuncio examen gestorum ab Inquisitoribus.

Obedientia Ministris Apostolicis exhibita.

Prædictorum actuum examen.

Causæ insequentis gratia.

di in causis ad prædictum Inquisitionis Officium spectantibus procedendi facultatem, sicut supra expressum est, tribueramus, ejusmodi facultate propter varia impedimenta usi non fuerint: Inde vero gravissimum puritati Catholicæ Religionis in Regnis prædictis detrimentum, sive periculum sit exortum, nec minus præjudicium Animabus, & Corporibus miserabilium illorum, qui in carceribus Tribunalis prædicti detinentur, resultaverit, moleste id etiam ferentibus Verissimo Archiepiscopo Generali, aliisque Inquisitoribus prædictis, ac illorum Officialibus, & Ministris, qui (sicut accepimus) nostris, & Apostolicæ Sedis prædictæ mandatis filiali, sinceroque obsequio prompte morem in omnibus gerere parati sunt.

§.4. Hinc est, quod Nos Christianæ Religionis, Catholicæque Fidei conservationi, quantum nobis ex alto conceditur consulere, ac dicti Tribunalis, illiusque Ministrorum, & Officialium statui, & felici directioni, necnon Christianorum novorum prædictorum consolationi, publicæque omnium utilitati paterna charitate providendum cupientes: habita super præmissis cum memoratis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus deliberatione matura, exquisitisque, & auditis illorum sententis, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Verissimo Archiepiscopo, olim Generali, ceterisque olim Inquisitoribus prædictis, suspensionem a Generalis Inquisitoris, aliisque suis respectivè muneribus, omnique potestate agendi, seu procedendi, aut alias quomodolibet se ingerendi in causis ad Sanctum Inquisitionis Officium in Portugallie, & Algarbiorum Regnis prædictis quovis modo spectantibus in eos a Nobis latam, & declaratam, ut præfertur, itaut ipsi de cetero munera sua exercere, ac facultatibus sibi respectivè attributis, & competentibus uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant in omnibus, & per omnia, prout poterant, & valebant antequam suspensionem prædictam incurrent (servatis tamen infra scriptis legibus, & ordinationibus) tenore præsentium de speciali dono gratiæ relaxamus; Facultatem vero prædictis locorum Ordinariis durante suspensione hujusmodi cognoscendi causas ad prædictum Inquisitionis Officium quomodolibet spectantes, in eisque procedendi a Nobis, sicut præmittitur, concessam, ex nunc revocamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus; ipsosque Ordinarios locorum iis tantum facultatibus, quibus ante eandem suspensionem utebantur, & uti poterant, de cetero uti posse decernimus, & declaramus. Ac Verissimum Archiepiscopum, ceterosque Inquisitores prædictos, ac illorum respectivè Officialiales, & Ministros quoscumque adversus præmissa, & præjudicialia quæcumque eis exindè quomodolibet enata in integrum, & pristinum, & eum, in quo antequam suspensio hujusmodi emanaret quomodolibet respectivè erant, statum restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus; illosque, & eorum quemlibet a censuris, & poenis Ecclesiasticis quibuscumque, quas propter præmissa, seu illorum occasione forsan, quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri, intelligi, vel prætendi possent, auctoritate Apostolica harum serie in utroque foro

Redditur auctoritas Inquisitoribus.

Revocatur facultas Ordinariis data.

Absolvuntur a censuris & poenis.

abolvimus, & totaliter liberamus, distasque poenas eis, & eorum cuilibet gratiose remittimus, & condonamus; necnon cum ipsis omnibus, & singulis super irregularitate per eos, quia censuris hujusmodi propter præmissa forsitan innodati, Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & alia Divina Officia (non tamen in contemptum Clavium) celebrarunt, seu alias Divinis sese ingesserunt, aut in Ordinibus suis quomodolibet ministrarunt, seu alias quovis modo eorundem præmissorum occasione contracta, ad quemcumque effectum, etiam specifica, & individua mentione dignum, & de necessitate specialiter exprimendum, itidem de speciali dono gratie dispensamus.

Leges, & ordinationes servande in Causis Fidei præsertim novorum Christianorum.

§.5. Porro certam rebus in prædicto Inquisitionis adversus apostaticam, hereticamque pravitatem Officio in Portugallia, & Algarbiorum Regnis supradictis auctoritate Apostolica instituto de cetero perennis normam in Causis fidei, & præsertim contra Christianos novos motis, & quodcumque movendis inviolabiliter servandam tradere volentes, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earundem tenore præsentium statuimus, sancimus, decernimus, & ordinamus.

§.6. Ut de cetero confiscatio nunquam fiat ante sententiam, vel declaratoriam, nec bona interim præfenti Rei quacumque de causa distrahantur, præterquam ex causa alimentorum; sed tantum confiscatur Inventarium omnium bonorum, cum intervenit persona cum Inquisito conjuncta, & bona prædicta cum debita cautione eidem persone conjuncta, vel alteri idoneæ in forma depositi consignentur, ex quibus alimenta toti familie ejusdem Inquisiti subministrantur, & legitimis Creditoribus, prout de jure satisfiat. Et si in confessione Inventarii inveniatur bona, seu pecunie ad alios spectantes, hoc summarie justificato, illico restituantur. Post sententiam vero bona emphyteutica, seu fideicommissaria, aut alias quomodolibet subiecta restituantur, quibus de jure, & his peractis, Fiscus utatur jure suo.

§.7. Nec deveniatur ad carcerationem Inquisiti, nisi præcedentibus legitimis iudiciis, & prout de jure, neque detineantur carcerati ultra necessitatem sub quovis prætextu, sed quam citius fieri possit expediantur, non expectato actu publico, quem vocant actum fidei.

§.8. In Juramento autem, quod defertur Advocato Reorum Sancti Officii non ponantur illa verba = *se per congettura* =, vel alia idem importantia. Idem vero Advocatus Sancti Officii possit alloqui Reos sine assistentia, & eidem trahatur copia processus, suppressis nominibus, & circumstantiis denotantibus personas testium. Quod si Reus alium Advocatum petat, ei concedatur, dummodo sit bonæ famæ, cui pariter (præfinito juramento de secreto servando) tradatur copia processus, suppressis suppressendis, prout supra; Non tamen illi permittatur alloqui Reos, nisi cum assistentia Deputati ab Inquisitoribus ad hunc finem, & effectum.

§.9. Christiani novi non habentes exceptiones legales, admittantur ad deponendum in deensam Reorum.

§.10. Quo vero ad probationes negativæ coarctate procedatur juxta Juris dispositionem, & canonicas sanctiones.

§.11. Nec Tutor, seu Curator, quibus de jure dandus est, ullo modo detur Custos Carcerum, neque alius Officialis Sancti Officii, sed deputetur alia persona gravis, fidelis, & bonæ conscientie.

§.12. Prohibeantur autem omnino quæcumque suggestiones, concussiones, promissiones, & similia in examinibus Testium, & Reorum constitutis; nec ex descendencia sanguinis Hebræi ulla deduci possit probatio Judaismi contra talem descendentem; imo nec ex ipsa sola descendencia ulla præsumptio sufficiens ad actum judicialem.

§.13. Si autem carcerati non veniant condemnandi, nullo modo compellantur ascendere pascum, & si non fuerint reperti culpabiles non retardetur eorum expeditio, sed illico relaxentur, etiam non expectato actu publico, quem vocant actum Fidei.

§.14. Neque Christiani novi ex sola qualitate repelli debeant a Testimonio ferendo contra Christianos veteres, salvo tamen exceptionibus legalibus, nec ab eisdem exigatur Juramentum de non deponendo contra Christianos veteres, & tollatur omnino statutum, seu consuetudo, si adsit, puniendi Christianos novos, ex eo quod deposuerit contra Christianos veteres.

§.15. In illis autem casibus, in quibus potest constare de corpore delicti facti permanentis, procedi non possit ad constituendum Inquisitum inter Reos, nisi prius de illo legitime constiterit.

§.16. Nec sit habendus pro diminuto is, qui in sua confessione non nominat Testem informatum, qui tamquam purus Testis contra ipsum deposuit, quantumvis sibi conjunctum, in quocumque gradu.

§.17. Confessus autem in causis Apostasie a fide, qui non nominavit sibi conjunctum in primo gradu ejusdem delicti complicem, non sit habendus pro diminuto, nisi copulative concurrant plena, & legitima probatio dictæ complicitatis, dolosa occultatio prædicti complicitatis, & nulla urgeat in ipso Reo confessio oblivionis præsumptio.

§.18. Quod si Reus, qui post suam confessionem de caeremoniis Judaicis in observantiam legis Moysis ab ipso factis tempore quo in illam credebatur, non fuerit convictus a testibus legalibus, sive idoneis, denuo repetiisse eandem caeremonias Judaicas, quas in novis constitutis negaverit, non sit damnandus ad poenam ordinariam, & multo minus, si caeremonie illæ essent æquivocæ, & indifferentes.

§.19. Testes vero loco, & tempore singulares, testes tamen in specie heresis determinate, seu Apostasie a fide, admitti possint ad testificandum contra Inquisitos de Judaismo in Regno Lusitanie, juxta illius antiquissimam consuetudinem, & ex nonnullis aliis circumstantiis in eodem Regno in Fidei favorem concurrentibus, dummodo tamen sint plures in numero, & in qualitate considerabiles, idonei, fide digni, legales, & quales de jure esse debent, atque insimul concurrentibus verisimilibus conjecturis, & attentis, atque diligenter examinatis aliis circumstantiis, & qualitate eorum, contra quos deponitur, sic testificantes, ut falsa non dicere præsumantur. Testes autem singulares, deponentes inverisimilia, & impossibilia nullum gradum probationis faciant.

§.20.

§.20. Porro repetitio Testium sit omnino necessaria post litem contestatam cum citatione, scilicet cum notitia Rei, & interrogatoris dandis per Procuratorem ipsius Rei, seu officio suppleendis, alias eorum depositiones non afficiant.

§.21. Testes quoque deponentes de iudiciis remotis confessionis extrajudicialis Judaismi non probent ad effectum condemnandi negativum ad poenam ordinariam. Quam vero probationem faciant prædicti Testes, quoad alias poenas, vel alios effectus, remittitur conscientie, & prudentie Judicis Ecclesiastici timentis Deum.

§.22. Confessiones autem extortæ contra formam juridicam, vel per suggestionem, vel promissionem vite, & liberationis, seu generales, aut obscure, seu repugnantes ætati, sexui, & intellectui consentientis, non sufficiant contra negativum pro poena ordinaria, & nisi aliunde legitime adminiculentur prædictæ confessiones, nullam probationem faciant.

§.23. Carcerati vero charitative tractentur, & redigantur carceres minus rigidi, & non tam obscuro.

§.24. Ac demum carceratis in Sancto Officio, sive confessis, sive non, permitti possint Libri Spirituales, & Officium Beate Virginis, vel Breviarium modis opportunis, & eisdem Carceratis, dentur Confessarii, & Assistentes in Articulo mortis.

§.25. Quoad Sacramentum vero Eucharistie, & extreme Unctionis arbitrio, & conscientie Judicis, ut supra id remittimus.

Harum legum observantia præcipitur sub certis poenis.

§.26. Mandantes prædicto Verissimo Archiepiscopo Moderno, & pro tempore existentibus Inquisitoribus Generalibus, ceterisque Inquisitoribus præsentibus, & quodcumque futuris districtorum Regnorum Portugallie, & Algarbiorum, ac illorum, & cujuslibet eorum respective Ministris, & Officialibus quibuscumque, ut omnes, & singulas leges, & ordinationes supra scriptas inviolabiliter, ac exacte, & accurate in omnibus & per omnia observent, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit pariformiter observari curent, & faciant. Alioquin Inquisitor quidem Generalis interdicti ab ingressu Ecclesie, ceteri vero Inquisitores, & Officiales, & Ministri prædicti excommunicationis majoris late sententie poenas respective ab iis, qui quoquomodo contraverint ipso facto absque alia declaratione incurrendas, a quibus relaxationis, seu absolutionis beneficium a nemine, præterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (nisi in mortis articulo constituti) obtinere valeant, se noverint incururos.

Clausula.

§.27. Ac Decernentes ipsas præfentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod præfati, & alii quilibet cujuscumque status, gradus, ordinis, præminentie, & dignitatis existant in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specifica, & individua mentione, & expresse digni, ad ea vocati, citati, & auditi, seu Causa, propter quas eadem præfentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque, etiam quantumvis juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætex-

tu, & capite, etiam in corpore juris clauso etiam enormis, enormissime, & totalis læsionis, nullo unquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostre, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, formali, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuaque expresse requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, modificari, limitari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas a peritioris oris, restitutionis in integrum, aliuvæ quodcumque juris, facti, vel gratie remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed easdem præfentes Literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suisque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & inconcussè observari, & adimpleri, & illis respectivè in omnibus, & per omnia plenissime suffragari.

§.28. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeatur, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Causarum Palatii Apostolice Curie Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Apostolicæ Nuncios, & alios quoslibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.29. Non obstantibus Literis supradictis, aliisque præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellarie Apostolicæ Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon Tribunalis prædicti, & aliis quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, etiam in favorem fidei, & dicti Tribunalis, ac Regnorum prædictorum, necnon Inquisitorum, aliarumque personarum quarumlibet, etiam specifica, & individua mentione, & expresse dignarum sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac ad quarumcumque personarum etiam Regia, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica Dignitate fulgentium Instantiam, seu earum contemplationem, etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum in genere, vel in specie concessis, ac pluries, & quantumcumque vicibus confirmatis, iteratis, & approbatis, & innovatis.

§.30. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque